

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

IV

TEMPUS PER ANNUM II

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

IV

TEMPUS PER ANNUM II

APPROBATUM IMPRIMATUR

Köln, den 15. August 2002

† JOACHIM KARDINAL MEISNER
Erzbischof von Köln

CONFIRMATUM

11. November 2002 · Prot. n. 2282/99/L

Rom – Vatikanstadt

† Franciscus Kardinal Arinze
Präfekt der Kongregation für den Gottesdienst

† Franciscus Pius Tamburrino
Erzbischof
Sekretär

Herausgegeben vom Erzbistum Köln
Druck: J. P. Bachem, Köln
3-7616-1713-5

CALENDARIUM
PROPRIUM ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS

AUGUSTUS

- | | | |
|----|---|---------|
| 9 | S. Teresiae Benedictae a cruce (Edith Stein),
martyris et religiosae | Festum |
| 10 | S. LAURENTI, DIACONI ET MARTYRIS
PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS WUPPERTAL
<i>In civitate Wuppertal: Sollemnitas</i> | Festum |
| 30 | S. Heriberti, archiepiscopi | Memoria |

SEPTEMBER

- | | | |
|----|--|---|
| 4 | S. Suidberti, episcopi | |
| 11 | S. MATERNI, EPISCOPI | Festum |
| 27 | DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS
COLONIENSIS | Festum
<i>In cathedrali: Sollemnitas</i> |

OCTOBER

- | | | |
|----|---|---------|
| 3 | Ss. Ewaldorum, missionariorum et
martyrum presbytererum et martyrum | |
| 10 | Ss. Gereonis sociorumque eius,
martyrum | Memoria |
| 10 | SS. CASSII ET FLORENTII, MARTYRUM
PATRONI PRINCIPALES CIVITATIS BONNENSIS
<i>In civitate Bonnensi: Sollemnitas</i> | |
| 11 | S. Brunonis, archiepiscopi | Memoria |
| 21 | Ss. Ursulae sociarumque eius,
virginum et martyrum
PATRONAE PRINCIPALES CIVITATIS
COLONIENSIS <i>In civitate Coloniensi: Sollemnitas</i> | Memoria |
| 23 | S. Severini, episcopi | Memoria |
| 24 | S. Evergisli, episcopi | |

NOVEMBER

- | | |
|--|-------------|
| 7 S. Engelberti, archiepiscopi | |
| 8 B. Ioannis Duns Scoti, religiosi et presbyteri | |
| 12 S. Cuniberti, episcopi | Memoria |
| 13 ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIAE | Sollemnitas |
| <p>Sollemnitas anniversarii dedicationis in singulis ecclesiis, in quantum fieri potest, ipso die anniversarii celebretur; dies 13 novembris eligitur pro ecclesiis, quorum dies dedicationis ignoratur vel in tempus Adventus, Quadragesimae et Paschale cadit. In dominicis per annum licet hanc celebrationem agere, cum infra hebdomadam cadit.</p> | |
| 15 S. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI ET ECCLESIAE DOCTORIS | Festum |

Die 9 augusti

S. TERESIAE BENEDICTAE A CRUCE (EDITH STEIN),
MARTYRIS ET RELIGIOSAE

Festum

Edith Stein, die 12 octobris anno 1891 filia parentum Iudai-
corum in Breslau nata est. Rebus philosophicis studens, veritati
quaerendae diu se dedidit, donec fidem Dei reppererit et ad ecc-
lesiam catholicam se converterit. Die 1 ianuarii anno 1922 baptizata
est. Munere magistrae et litteris edendis ex eo tempore
Deo servivit. Anno 1933 Coloniae inter sorores Carmelitas
adscita, nomine petito Teresiae Benedictae a cruce vitam pro
populis Iudaico et Germanico impedit Germania patria prop-
ter persecutionem Iudeorum relicta, die 31 decembris anno
1938 in conventum Carmelitarum in Echt (Hollandia) recepta
est. Die 2 augusti anno 1942 a potestate tunc dominationem ter-
rificam in Germania habente comprehensa, in publicae custo-
diae campum prope Auschwitz-Birkenau (Polonia) situm et ad
stirpem Iudaicam extinguidam destinatum, deportata est.
Ididem haud dubie die 9 augusti crudeliter (gasio letifero)
occisa est.

**De Communi martyrum. Vol IV, 1398, vel de Communi
sanctarum mulierum (pro religiosis). 1523.**

Ad officium lectionis

LECTIO ALTERA

Edith Stein († 1942)

Ex opere „Scientia Crucis“

(Edith Steins Werke. Ed. L. Gelber – R. Leuven. Tom. I.
Freiburg 1983', 15–16)

Credentibus in Crucifixum porta vitae aperitur

Christus iugum legis suscépit, legem plene servans et
pro lege perque legem móriens. Qua re liberávit eos, qui
per eum vitam recipere volunt. Sed recipere non possunt,
nisi vitam própriam offeréntes. *Nam quicúmque baptizáti
sunt in Christum Iesum, in mortem ipsíus baptizáti sunt.*
In vitam eius immagruntur, ut membra cóporis eius fiant
et tamquam membra eius cum ipso pateréntur et moreréntur.
Haec vita die glóriae abundántius veniet; sed iam

nunc in carne degéntes ea participámus, si crédimus; si crédimus Christum pro nobis mórtuum esse, ut nobis vitam cónferat. Hac fide cum eo tamquam membra cum cápite unímur; haec fides nos pro fonte vitae eius áperit. Ideo fides quae est in Crucifíxo, fides scilicet viva amore devóto coniúncta, pro nobis porta vitae et inítiū glóriæ ventúrae est; ideo crux gloriátio nostra única est: *Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.* Qui Christum élégit, mundo mórtuus est et mundus illi. *Stigmata Christi in corpore suo portat, infírmus est et contémptus ab homínibus, sed eádem causa valens est, quia virtus Dei in infirmitáte perfícitur.* Hac cognítione discipulus Iesu non tantum crucem sibi impósitam áccipit, sed étiam seípsum crucíficat: *Qui autem sunt Christi Iesu, carnem crucifixérunt cum vitiis et concupiscéntiis.* Certámīne duro contra natúram suam pugnávérunt, ut vita peccáti in eis moriátur et vitae Spiritus spatiū detur. In hoc certámīne summa fortítudo postulátur. Crux autem non finis est; crux exaltátur, ut caelum osténtet. Non solum signum est, sed étiam armatúra Christi invicta: báculum pastórīs, quo David divínus contra Góliath nefándum certat; quo Christus fórtiter ad portam caeli pulsat eámque áperit. Quae cum fiunt lux divína effundétur omnésque Crucifíxum sequéntes adimplébit.

RESPONSORIUM

Gal 2,19-20

R. Christo confíxus sum cruci: vivo autem iam ego, vivit vero in me Christus. * Qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

V. Quod autem vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei. * Qui diléxit me.

Oratio

Deus patrum nostrórum, qui sanctam Edith Stein, Tere-siam Benedictam a cruce mártyrem ad agnitionem Fílii tui crucifíxi eiúsque imitacionem usque ad mortem per-duxísti, ipsa intercedénte, concéde, ut omnes hómines Christum Salvatórem agnóscant et per eum ad perpétuam tui visiónem pervéniant. Qui tecum vivit et regnat.

Die 10 augusti
S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS

Festum

PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
WUPPERTAL

In civitate Wuppertal sollemnitas

Laurentio archidiacono Romano Xystus II papa curam pauperum et miserorum mandavit. Per antiqua traditio eum una cum quatuor sociis anno 258 die 10 augusti martyrio coronatum esse fert. Sepulchrum eius invenitur prope viam Tiburtinam, iuxta quod Constantinus imperator basilicam aedificavit. Ibidem iam initio saeculi quarti memoria sancti martyris celebrata est. Anno 955 die 10 augusti Otto I rex Germaniae Hungaros invadentes in Campo Lici fluminis devicit; exinde veneratio sancti Laurentii etiam in Germania increbuit. Haud dubium est, quin paulo post in domo palatina Elberfeldii ecclesia in honorem eiusdem sancti consecrata sit.

Omnia ut in festo, Vol. IV., 1044, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

En martyris Laurentii
armata pugnavit fides,
nam morte mortem diruit
ac semet impendit sibi.

Fore hoc sacerdos dixerat
iam Sixtus affixus cruci,
Laurentium flentem videns
crucis sub ipso stipite:

„Desiste decessu meo
fletum dolenter fundere;
praecedo, frater, tu quoque
post hoc sequeris triduum.“

Extrema vox episcopi,
pronuntianihil fefellit, nam dies
praedicta palmam praestitit.

Deo Patri sit gloria,
eiusque soli Filio,
cum Spiritu Paraclito,
in saeculorum saecula. Amen.

Die 30 augusti
S. HERIBERTI, EPISCOPI

Memoria

Heribertum, in oppido Wormatiensi natum, Otto III imperator Germaniae amicum sibi ascivit, eumque cancellarium regni elegit et anno 999 archiepiscopum Coloniensem nominavit. Heribertus annos 1002 abbatiam Divitiensem fundavit; anno fere 1015 ecclesiam monasterii in Zyfflich consecravit et ante annum 1021 Coloniae ecclesiam collegiatam in honorem sanctorum Apostolorum instituere coepit. Pauperibus semper beneficus fuit praesertim tempore quo homines fame laborabant. Mortuus anno 1021 die 16 martii, in fundatione propria Divitiensi depositus est. Anno 1147 die 30 augusti reliquiae eius elevate sunt, quae nunc in tumba pretiosa anno fere 1167 facta in ecclesia parochiali S. Heriberti Divitiae quiescunt.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E Vita sancti Heriberti a Rupérto Divitiénsi conscripta
(Cap. 29, 1–4; 32: PL 170, 418–419; 421)

Pauperum memores sitis

Heribértus longa in hoc sáeculo peregrinatióne fatigátus, cum suspírans prospíceret mansiónem aetérnam pátriae caeléstis, tandem febre corrípitur, et ecce servus

Dómini pro ipsa exspectatióne pérvigil sentíre sese arbitrátus est, quod iam veníret iamque pulsáret Dóminus.

Erat autem tunc témporis in quadam suae dioecésis villa quae Nússia dicitur. Cum ígitur urgénte atque ingra- vescénte moléstia vexaréatur, própere Colóniam mittens ábbatem Elíam accersívit. Quo veniénte ipse secúndum praecéptum apóstoli sacro unctus est óleo in nómine Dómini, páriter córporis et sanguinis domíni sacramén- tis munitus, tunc demum carínae illátus est, ut Colóniam deducerétur. Tunc in apostolórum príncipis oratórium iussu suo delátus atque coram altári sanctae crucis, quod ad médium situm est, depósitus, prout váluit cápite oculís- que ac mánibus in caelum proténis prolíxius orábat.

Post haec, morbo invalescénte, iamque non incérto eius tránsitu, spirituáles ipso iubénte a frátribus exséquiae psalmórum decantatióibus inchoántur. Ipse, quoque péctoris anhelántis, quoad póterat, cítharam extendébat, páriter psallens et quodámmodo dicens: „*Ingrédiar in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei, in voce exsultatiónis et confessiónis.*“ Intérea páuperum procuratórem, cui curam illórum ipse commiserat, inter mae- réntium catérvam cóminus sibi assístere vidit: „Et quid“, inquit, „nunc agunt fratres mei? Num illórum servítio deest áliquid?“ Dicébat autem de paupéribus. Etenim illos húmili consciéntia fratres suos, immo et dóminos et patró- nos apud Deum aestimáre consuéverat. Cum ille cuncta, quae sibi assignáta fuérant, se expendísse, iamque nihil superésse respondíisset, prótinus ecclésiae propósitum et civitatis accérsens advocátum, his illos allocútus est: „*Audístis, caríssimi, immo et vigilánte audíre debétis Scriptúram dicéntem, quia fenerátur Dómino, qui miseré- tur páuperi, et quia sicut ignem exstínguit aqua, ita eleemosyna résistit peccátis.*“ Ego si quid exémpli boni secúndum verba haec vobis práebui, si quid in paupéribus seminávi, nunc iam repósa compensábitur merces, et messis, quam acquisívi, nunc iam recipienda est, sicut item scriptum est: *Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet.* Iam enim vobíscum diútius non ero hic ubi seminátur.

Vos ígitur tamquam filios caríssimos pater móriens et últimum spíritum trahens, hac novíssima testatióne convénio, quátenus páuperum mémores sitis, atque hoc ánime meae solátium impendátis, ut quoadúsque succéssor episcopus subrogétur, constitútum a me paupéribus refrigérium, vestra suppeditánte cura, non desit."

His audítis, veheménter compúncti sunt, seque hoc libentíssime actúros spoondérunt, eo magis abeúntem congémiscéntes, quod factis praetéritis perpendébant conveníre verba novíssima, respiciéntes qualis erat, quáliter víverat, quando sibi semper stúdio misericórdiam thesaurizáverat, et instántis horae necessitátem finémque, in quo laus omnis cánitur, quam sapiénter províderat.

RESPONSORIUM

Mt 25,21.20

R. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

V. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. * Intra.

Oratio

Deus, cuius sánctitas actiōne et contemplatiōne quáeritur et invenítur, da nobis, intercessiōne beáti Heribérti episcopi, qui et rebus públicis consúluit, et domos vitae religiósae fundávit: ut, humáno géneri sédulo inserviéntes atque in oratiōne perpétua manéntes, tecum coniungámur. Per Dóminum.

Die 4 septembri

S. SUIDBERTI, EPISCOPI

Suidbertus, in Anglia natus, anno 690 una cum Willibrordo Frisiam petit ut fidem Christianam diffunderet. Willibrordo Romam proficiscente, Suidbertus episcopus consecratus est a

Wilfrido episcopo Eboracensi et Evangelium apud Boructarios inter Rhenum, Lippiam et Ruram flumina praedicavit. Sed quodcumque operis missionarii coeptum erat, a Saxonibus invadentibus destructum est. Auxiliantibus Pippino et Plectrude eius uxore monasterium super insulam in Reno sitam erexit, quae „Suidbertswerth“, postea „Kaiserswerth“ nominata est. Ibidem mense martio anni 713 mortuus est. Corpus sancti, in tumba pretiosa facta anno 1264 conditum, in ecclesia parochiali in Kaiserswerth quiescit.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421, prater sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Olim penes nos exsulem,
sed nunc fruentem patria,
laudemus alnum praesulem,
sanctos decent paeonia.

Transmissus huc ab Anglia
propter salutem gentium,
lingua docebat sobria
viam salutis omnium.

Wilfridus almis moribus
Christi probatum militem
in Merciorum finibus
sacravit hunc antistitem.

Christi reversus tradidit
fidem Boructuariis,
novamque sedem perdidit
expulsus a nefariis.

Locum colens mox alterum,
qui dictus est in litore,
receptor illic pauperum
toto resedit tempore.

Aditur a fidelibus
sacri sepulchrum, praesulim,
signis enim frequentibus
coruscat et miraculis.

Huius precatu poscimus
te, Christe, Patris unice,
nos qui patrono psallimus,
vultu sereno respice.

Sit laus Patri cum Filio
in unitate Spiritus,
cuius remuneratio
sanctos coronat caelitus. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Homilia sancti Radbódi episcopi

(Acta Sanctorum Mart. I, 1865, 85–86)

In omnibus, quae docuit, prius exemplum dedit

Actúri, fratres caríssimi, diem nostrae speciális iucunditátis, in qua patróni nostri beatíssimi Suidbérti sancta ádmodum commemorátio faciénda est; opórtet nos parátos esse ad omne opus bonum, promptósque habére ánimos; primo quidem ad audiénda legis divínae mandáta, póstmodum vero, ut quantum póssumus, ea factis éxsequi studeámus, et sic demum álios docére possímus. Hoc enim fecit Dóminus noster Iesus Christus, de quo ita scriptum est: *Coepit Jesus fácere et docére*. Nos ígitur vestígia Redemptoris nostri sequéntes, quáelibet bona libentíssime audiámus, audíta vero dignis áctibus compléamus; et sic per órdinem ad instruéndos próximos accedéntes, consulámus eis rerum bonárum doctrínis páriter et exémplis. Hoc ergo ut sine dilatióne fíeri pos sit, revocánta sunt nobis ad memóriam patris nostri, de quo supra díximus, ópera: qui in ómnibus, quae dócuit, prius a semetípso auditóribus suis exéplum dedit, neque umquam in ecclésia áluid faciéndum dixit, quam in quo ipse faciéndo praecéssit.

Témpore beáti Willibrórди Traiecténsis episcopi, fratres qui erant in Frísia verbi ministério mancipáti, elegérunt ex suo número virum modéstum móribus et mansuétum corde, Suidbértum, qui eis ordinarétur antístes. Quem Británniam destinátum, ad petitiónem eórum ordinávit reverendíssimus Wilfrid epíscopus, qui tum forte pátria

pulsus in Merciorum régiónibus exsulábat. Non enim eo témpore habébat epíscopum Cánita, defúncto quidem Theodóro; sed necdum Bertuáldo successóre eius, qui trans mare ordinándus íerat, ad sedem episcopátus sui revérso. Qui videlicet Suidbert, accépto episcopátu, de Británnia regréssus, non multo post ad gentem Boructariórum secéssit, ac multos eórum praedicándo ad viam veritatis perdúxit. Sed expugnátis non longo post témpore Boructáriis agente antiquórum Saxónum, dispersi sunt quólibet hi qui verbum recéperant. Ipse antístes cum quibúsdam Pippínus pétuit, qui, interpellánte Plectrúde cóniuge sua, dedit ei locum mansiónis in ínsula Rheni, quae lingua illórum vocátur „in lítore“. In qua ipse constrúcto monastério, quod háctenus herédes pòssident eius, aliquámdiu continentíssimam gessit vitam, ibique clausit últimum diem.

Céterum nos nequáquam dubitáre debémus virum istum in ómnibus Christiánae religiónis stúdiis fuísse exercitátum, útpote qui inter tam pretiósas Ecclésiae Dei lucérnas, quae his diébus sive in Anglórum, sive in Galliórum gente mirífice coruscábant, óvium Christi pastor a sacratíssimis ipsis ordinári proméruit. Nam nisi esset pastoráli exercítio pléniter instrúctus, nullo modo eius custódiae tantae gregis Christi cópiae crederéntur.

Agámus ergo grátias omnipoténti Deo in die sollemnítatis huius sacrosáncti antístitis, orántes simul et postulántes, ut cuius vitam gloriósam praedicámus in terris, eius patrocínio pérfrui mereámur in caelis.

RESPONSORIUM

Mc 16, 15–16; Io 3,5

R. Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae; * Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit.

V. Nisi qui renátus fúerit ex aqua et Spíritu Sancto, non potest introíre regnum Dei. * Qui credíderit.

Oratio

Deus, qui per beátum Suidbértum epíscopum infidéles pópolos de ténebris ad lumen veritatis veníre tri-

buísti; da nobis, eius intercessióne: in fídei stabilitáte consístere, et in spe Evangélíi, quod praedicávit, constántes permanére. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Olim penes nos exsulem, **ut ad Officium lectionis.**

Die 11 septembris
S. MATERNI, EPISCOPI

Festum

Materni nomen omnium episcoporum Coloniensem pri-mum accepimus. Familiaris Constantini imperatoris synodis Romae anno 313 et Arelati anno 314 celebratis interfuit. Harum synodorum utraque unitati Ecclesiae consuluit propter haeresim Donatistarum, qui sacramenta ab acatholicis ministrata invalida habuerunt. Conicere licet Maternum ex Colonia dioecesim Tungensem fundavisse; incertum est, sed legenda fert, eum et episcopum Treverorum fuisse.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex História Ecclesiástica Eusébii Caesariénsis epíscopi (X, 5, 18–20: PG 20, 885–888)

Ut omnes unum sint

Exéplum epístolae Constantíni imperatóris, qua epis-cóporum concílium Romae fíeri iubet pro unitáte et con-cordia Ecclesiárum:

„Constantinus Augústus Miltiadi epíscopo urbis Romae et Marco. Quóniam huiúsmodi plures libelli a viro claríssimo Anulíno Africæ procónsule ad me sunt missi, in quibus continétur Caeciliánum Carthaginénsium urbis epíscopum a quibúsdam collégis suis per Africam consti-

tútis multis de causis insimulári. Quod quidem permoléstum mihi vidétur, in istis provínciis quas divína providéntia meae devotíoni spontánea deditiōne trádidit, et in quibus máxima est pópuli multitúdo, plebem quasi in duas partes divísam ad deterióra defléctere, et epíscopos inter se dissentíre. Plácuit mihi ut idem Caeciliánus una cum decem epíscopis qui accusáre ipsum vidéntur, et cum decem áliis quos ipse ad suam causam necessários esse iudicáverit, Romam návигet; ut ibi coram vobis et coram Retício, Matérno ac Márino collégis vestris, quos ea causa Romam properáre iussi, possit audíri, quemádmodum sanctíssimae legi conveníre óptime nostis. Porro ut totius negótiī pleníssimam valeátis hauríre notítiam, exémpla libellórum ab Anulíno ad me missórum, lítteris meis subiécta ad collégas vestros supradíctos transmísi. Quibus lectis perpéndet grávitas vestra, quonam modo supra memoráta controvérsia assuratíssime diiudicánda sit, et ex praescrípto iustítiae terminánda. Síquidem nec tuam sedulitátem latet, tantam a me reveréntiam sanctíssimae Ecclésiae cathólicae exhibéri, ut generáliter nullum schisma aut dissídium úllibi avobis relínqui velim. Divíni-tas summi Dei multis vos annis servet, caríssime."

RESPONSORIUM**Eph 4,3–6**

R. Sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. *
Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestrae.

V. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma, unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómina, et in ómnibus nobis. * Unum corpus.

HYMNUS Te Deum, 474.

Oratio

Deus, qui ad veram praedicándam fidem et unitátem Ecclésiae curándam beátum Matérnum epíscopum vocásti; praesta, quáesumus, eius intercessióne: ut, qui uno baptísmate iungúntur, tua mirabília géntibus annún-tient. Per Dóminum.

Die 27 septembris

DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS
COLONIENSIS

Festum

In cathedrali: Sollemnitas

Vetus cathedralis ecclesia anno 870 die 27 septembris ab archiepiscopo Williberto una cum episcopis synodum Coloniae agentibus consecrata est. Anno 1248 dei 15 augusti archiepiscopus Conradus de Hochstaden lapidem primarium cathedralis goticae posuit, cuius chorum archiepiscopus Henricus II de Virneburg anno 1322 die 27 septembris divino culti sollemniter dedicavit. Sed opus ingenti magnitudine inchoatum perfectum non est nisi saeculo undevicesimo: ab anno 1842 usque ad annum 1880. Anno 1848 die 15 augusti archiepiscopus Ioannes cardinalis de Geissel naves ecclesiae consecravit. Bello ab anno 1939 usque ad annum 1945 gesto ecclesia cathedralis magnis damnis affecta, sed, choro renovato, anno 1948 die 15 augusti sollemniter sacrae liturgiae restituta est.

De Communi dedicationis ecclesiae, Vol. IV., 1303.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilia Emmanuélis Coelestíni Cardinális Suhard
(Kölner Domjubiläum 1948. Hersg. Kölner Domkapitel,
Düsseldorf 1950, 97 f)

Domus Dei est figura Ecclesiae vivae

Ecce ecclésia cathedralis! In qua vidémus praetérita, in qua et futúra conspícimus. Ut enim est ecclésia Dei ex lapídibus exstrúcta, sic exstruénda nobis est médiis in homínibus ecclésia quaedem spirituális.

Introeúntes quid vidémus pósitum média in cathedrali ecclésia? Scimus altáre in médio pósitum, in quod convér-gunt ómnia, mensam lapídeam, in qua numquam inter-mittitur sacrificári sacrificíum Christi, mensam reliquiis mártirum exornátam, super quam tabernáculum Dei exstrúctum est. Considerémus, quid sit exstrúere altáre in médiis homínibus nostraræ aetátis ratíoni materiáqe

déditis! Altáre exstrúere nihil putábimus áliud nisi restitúere in homínibus divína. Non servábitur homo per hóminem. Nihil profícient, qui procedéntes nihil spectent nisi hóminem, qui procedéntes non curent, ut tollántur ad coelum in sacrificio illo totáli, quod praestat Patri Christus.

Scimus ad hoc in ecclésiis nostris inésse et aula transvérsa a maióribus nostris invénta, ut signíficent mýsticum illud signum crucis Dómini nostri Iesu Christi! Ecce signum, cuius ne obliscámur, contendéndum est! Nam hoc nostro saéculo si áliquo egémus humanísmo – quod non dubitámus quoquo modo affirmáre –, talem póscoimus humanísmum, in quo crux médium obtíneat locum. Vae illi cultúrae, in qua hómines posse sese putant attíngere metam nullis áliis inníxi víribus nisi suis, in qua hómines non inténdunt pónere crucem Calvariéñsem fundaméntum vitae.

Ecce maior ecclésiae aula ingens máximis colúmnis súbditis multísque fornícibus iunctis! Exstrúcta est, ut fóveat pópulum precántem atque prótegat. Et cogit várías fidélium turbas collígítque ex ómnibus caeli régiónibus. O miráculum unitátis! Congregántur gentes, pópuli, páuperes divitésque, non amíssis própriis suae ipsíus natúrae condiciónibus, unificáti mira communióne singulári, in qua et vivórum et mortuórum chori únicum formant corpus Christi mýsticum. Cuius communiónis semper esse mémores nos omnes decet hac aetátē cáedibus bellísque hórrida vivéntes. Qua nostra aetátē nos decet Christiános summa ope niti, ut ómnibus fínibus oceanísque superátis in unum congregéntur hómines. Neque congregabúntur nisi unitáte Christianórum ante confécta, ut sit hóminum únio clara unitáte Christianórum. Qua praecípue in re ne decipiámus nosmetípos, quin videámus bona pacis nascitam ex iustítia quam ex caritáte.

Ne omittámus tandem portas ecclésiae, per quas ádeunt hóminides ad Deum, adit Deus ad hómines. Aedi, quam inténdimus, mýsticae semper erunt portae, sed et partae seris clausae, ut a tempestátibus protegántur, quos sibi Dóminus sanguine suo redémit. Páteant ecclésiae portae

ómnibus homínibus, tamen méntibus cogitaciónibus temptátis pro témpore claudéntur, ne intróeant supérbia, cupídines, pecúnia, quorum víncula ne illi quidem effúgient, qui magna voce clamáverint velle sese istórum esse liberatóres. Patent ecclésiae portae ómnibus homínibus bonaे voluntátis. Vídimus videmúsque hanc domum super mundum patefáctam esse imáginem exemplúmque factórum nostrórum. Homínibus non debémus templum parvum, in quo pauci privilégiis suis beneficiísque vivunt. Debémus aedem magnam, domum paténtem, habitáculum ómnium, refúgium afflictórum, adiutrícem eórum, qui student veritáti. Nam ecclésiam si fácimus domum. Dei, et domum hóminum eam fácimus. In qua exspectántur atque excipiúntur cuncti hómines variárum índolum bonorúmque ingeniórum. Non recédit ecclésia cathólica a mundo novo, sed aperítur ad eum baptizándum. Non cónvocat ecclésia líberos suos nisi, ut eos melióres dimíttat apóstolos magis strénuos ad innumerábiles hóminum coetus, quos dílligent amóre claro atque férido. Exspéctant enim hómines hunc amórem, hunc putant necessárium ad vitam degéndam, hoc omíssio non posse vigescere arbitrántur ullam omníno amóris vim.

Considerávimus de altári, de cruce, de navi média, de porta; in his praecípue pártibus conspéximus illam, quae nobis aedificánda est, aedem. Incipiámus aedificándo! Quod nos soli non effecérimus, hoc efficiétur ímpetu stu-dióque cunctórum. Animo ne deficiámus! Transíbunt gentes generationésque, succédet áltera cultúra in locum alteríus: remanébit – ómnibus ruínis, dómibus, monuméntis superátis – aedes victrix cathédralis. Omnia fúnditus cum sint evérsa, oblivíone sint pérdita, rémanet ecclésia.

RESPONSORIUM

Cf. Is. 2, 2.3; Ps 125,6

R. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes gentes, et dicent: Glória tibi, Dómine.

V. Veniéntes autem vénient cum exsultátione, portán-tes manípulos suos. * Et vénient.

Vel alia:

Ex chrónica régia Coloniénsis

(Cont. V, A. 1248. Rec. Georgius Waitz, Hannoverae 1880,
293)

Lapis primarius ponitur

Anno Dómini millésimo ducentésimo quadragésimo octávo, cum Capitulum Coloniénsis pro omnimoda destructíone maioris ecclésiae antiquae et reparatióne melioris structúrae de consénsu archiepiscopi et priorum concordássent, festinique valde magistri óperis orientálem, partem murorum ecclésiae cavássent, nímio ignis foménto aggregáta ligna cavatúram suffulciéntia incáuti succéndunt, ut moles désuper stans cito rúeret. Sed ignis invaléscens vento instánte illud nobile opus ecclésiae, licet antiquum, cum duabus corónis deaurátis intus dependéntibus praeter solos muros parietum pénitus consúmpsit. Verum divína virtus evidentissime páuit, quod capsula Trium Regum de loco suo in medio ecclésiae constitúta ad iánuam ecclésiae ante succensióinem ignis deláta fúerat, non timóre ignis, sed timóre quassatiónis murorum, et cum multo labóre, cum ecclésia tota fumo impletáretur, exportáta sine aliqua laesióne íntegra est serváta.

Conrádus autem archiepiscopus, praelátis ecclesiásticis, nobílibus terrae ac ministeriálibus suis evocatis innumerabilique multitúdine populi verbo exhortatiónis per praedicatores attráctis, post completiónem sollémnis missae in die Assumptiōnis beatae Maríae vírginis primárium lápidem ponit, tam auctoritatē domini Papae quam sua propria et Legáti necnon et ómnium suffraganórum Coloniénsis Ecclésiae indulgentia hucúsque inaudita fidélibus data, qui suas vel darent vel mítterent eleemosynas ad fábricam ecclésiae memorátae. Ab illo ergo tempore fundámentum novae basílica beáti Petri, scilicet maioris ecclésiae in Colonia, mire latitudinis et profunditatis largis súmptibus est initiátum.

RESPONSORIUM

Cf. Is 2,2.3.; Ps 125,6

R. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad

eam omnes gentes, et dicent: Glória tibi, Dómine.

V. Venientes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. * Et vénient.

HYMNUS Te Deum, 474.

Oratio

In ipsa ecclesia cathedrali:

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem; exáudi preces pópuli tui, et praesta: ut fiat hic tibi semper purum servítium et nobis plena redémptio. Per Dóminum.

Extra ipsam ecclesiam cathedralem:

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus aetérnum habitáculum tuae praéparas maiestáti; multíplica in Ecclésia tua spíritum grátiae, quem dedísti, ut fidélis tibi pópulus in caeléstis aedificatiónen Ierúsalem semper accréscat. Per Dóminum.

Die 3 octobris

SS. EWALDORUM, PRESBYTERI ET
Martyrorum

Ewaldi, in Anglia nati et ad presbyterium ordinati, ex capillorum specie „Ewaldus niger“ et „Ewaldus albus“ nominati, exeunte saeculo septimo regiones Saxonum petierunt ad Evangelium praedicandum. Opere missionario brevi tempore functi, in regione, quae est inter Rhenum, Lippiam et Ruram flumina, anno fere 695 interficti sunt. Pippinus rex corpora sanctorum Coloniam in ecclesiam beati Cuniberti transferri iussit; ibidem archiepiscopus Anno die 3 octobris anni 1074 reliquias elevavit.

**De Communi plurimorum martyrum, Vol. IV., 1378,
praeter sequentia:**

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Votiva mentis gaudia
declarat oris cantio,
et martyrum praeconia
canora promat concio.

Pares Ewaldos nomine
par extulit devotio,
pares Deus certamine
pari beavit praemio.

Quos Anglicos origine
ad angelorum gaudia
pro se profuso sanguine
vocavit ex angustia.

Hi dum petunt Germaniam,
cultum fugando daemonum,
necat docentes gratiam
ingratitudo Saxonum.

Iniecto Rhenus corpore
sursum vehit divinitus,
lux sanctitatis pignora
noctu revelat caelitus.

Avete, cives caelici,
favete, Christi milites,
per vos precamur effici
utraque vita sospites.

Honor Patri cum Filio
Sanctoque sit Spiramini,
qui tres pari consortio
regnant in uno numine. Amen.

LECTO ALTERA

Ex Adhortatione Apostolica Pauli papae Sexti „Evangeli“
nuntiandi”

(n 75. AAS 1976, 64–66)

In virtute Spiritus Sancti

Nulla umquam fieri potest praedicatio sine Sancti Spiritus munere. Qui profecto et in Iesum a Nazareth descendit ipsum dum baptizaretur, tum videlicet, cum vox Patris: *Hic est Filius meus dilactus, in quo mihi bene complacui*, manifeste ostendit ipsius electionem et missiōnem. Qui praeterea ductus a Spíritu deserta petit supremūmque certámen init in discrimenque maximum venit, antequam huius missiōnis inītium faciat; itidemque *in virtute Spíritus* redit in Galilaeam, in civitate sua Nazareth praedicatūrus, sibi illud Isaiae tribuens: *Spíritus Dómini super me*, et: *Hódie impléta est haec Scriptúra*. Huc accedit, quod discipulis, quos missurus erat, insufflans ait: *Accípite Spíritum Sanctum*.

Re quidem vera, solūmodo post Spíritus Sancti adventum in die Pentecostes, apóstoli in omnes partes terrae profiscuntur, ut grande evangelizationis opus, Ecclésiae concréditum, aggrediāntur, idque Petrus ita populo explicat, quasi per illum évēntum prophetia Ioélis impleatur dicentis: *Effundam de Spíritu meo super omnem carnem*. Ipse Petrus Spíritu Sancto replétur, ut de Iesu, Fílio Dei, populo verba faciat. Atque Paulus ipse Spíritu replétur Sancto, antequam apostolico óperi se tradat, quemadmodum Stéphanus, eodem Spíritu plenus, diáconus éligitur ac póstea fuso sanguine martyrium facit. Scilicet Spíritus ille, qui Petrum, Paulum ac duodecim apóstolos loquéntes facit, subiciens quid dicant, idem in eos étiam cadit, qui verbum Dei audient.

Céterum, Spíritus Sancti consolatiōne replēta, Ecclésia crescit, cuius est ille anima. Ille, inquit, efficit, ut fidèles verum tum doctrinae tum mystérii Christi intelléctum habeant; ille hodie, quemadmodum inītio Ecclésiae, in unoquóque Evangeli praecōne operátur, modo ei se tradat

dirigéndum. Ille tandem verba súggerit, cum unus ille praestáre possit, simul audiéntium ánimos mólliens, ut Evangélium et annuntiátum regnum plane excípiant.

Cogi ergo inde fácile potest, Spíritum Sanctum in propagatióne Evangélii primas ágere, útpote qui et móveat ad praedicándum, et hóminis íntima ad excipiéndum intellegendúmque verbum salútis praéparat, iure páriter affirmári potest eum esse étiam finem ac téminum omnis evangelizatiónis; unus enim novam creatiónen operátur, humanitátem nempe novam, ad quam evangelizatió ipsa téndere debet.

RESPONSORIUM**Mc 16,15–16; Io 3,5**

R. Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae: * Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit.

V. Nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Dei. * Qui credíderit.

Oratio

Dómine Deus, qui sanctos fratres Ewáldos verbi tui testes ad Saxónes misísti; praesta, quáesumus, eórum martýrio atque intercessióne: fac nos vita testificári, quod fide confitémur. Per Dóminum.

Ad Vespertas

HYMNUS Votiva mentis gaudia, **ut ad Officium lectionis.**

Die 10 octobris
SS. GEREONIS SOCIORUMQUE EIUS,
MARTYRUM

Memoria

Legenda fert: Gereonem praefectum militum legionis Thebaicae fuisse et una cum sociis haud procul ab urbe Colonia in campo posteа „ad martyres“ nominato percussum esse gladio; corpora sanctorum in fontem ante muros iacta esse, super

quem fontem Helenam matrem Constantini imperatoris ecclesiam aedificavisse. Constat legendam ortam esse a martyrio quodam vere passo saeculo tertio. Partes antiquiores eccliae S. Gereonis saeculo quarto exeunte constructae sunt.

**SS. CASSII ET FLORENTII, MARTYRUM
PATRONI PRINCIPALES CIVITATIS BONNENSIS**

In civitate Bonnensi sollemnitas

Haud dubium est, quin Cassius et Florentius pro Christi nomine passi et mortui sint exeunte saeculo tertio. Sub ecclesia monasteriali Bonnensi sacellum antiquum servatum est, ubi Christiani iam initio saeculi quarti memorias in honorem horum sanctorum martyrum celerabant. Postea Cassius et Florentius in numero militum legionis Thebaicae habitu sunt aeque ac Gereon Coloniensis et Victor in Castris Veteribus cultus.

**Ad I Vespertas
(Bonnae tantum)**

Omnia ut ad II Vespertas, 26*.

Ad Invitatorium

Ant. Regem mártirum Dóminum, veníte adorémus.
Psalmus invitatorius, ut in Ordinario, 471.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Rex sempiternae lucis auctor unice,
nos atque plebis cerne vota supplicis,
tui perenni sub honore nominis
laudí piorum servientes martyrum.

Tu Gereonem praepotentem militem,
viris trecentis bis novenis additis,
ut castra quodam praenitebant Abrahae,
patronum nobis, tibi testem sanxeras.

Victor eadem mente spernens iudicem,
triginta secum terque centum martyrum
trophaea sacra vexit ad caelestia,
par Gereoni passione martyri.

Splendent ad ista martyrum sollemnia
septem lucernae fulguranti lumine,
his Cassius praefulget et Florentius
in laureato purpuratorum choro.

Ave, beata martyrum constantia,
multiplicata triplici victoria;
pacem manentem, sanctitatem perpetem,
te deprecante, consequamur prospere.

Sit Trinitati laus perennis simplici,
Patri potenti, Filoque compari,
in unitate Spiritus Paracliti,
in sempiterna saeculorum saecula. Amen.

Bonnae: Antiphonae et psalmi de Communi plurimorum martyrum, 1379.

- V. Anima nostra sústinet Dóminum.
R. Quóniam adiútor et protéctor noster est.

Bonnae: Lectio prior de Communi plurimorum martyrum, 1381.

RESPONSORIUM

R. Te mirábilem in sanctis tuis, rex regum, collaudámus: tua ópera, Christe, tua mirácula praedicámus: * A quo quasi lucidíssimo fonte sanctórum glória emanávit.

V. Tua quippe est virtus et fortitúdo plebis tuae: tu benedicéndus, tu laudándus in illis. * A quo.

LECTIO ALTERA

Ex Passióne Thebaeorum Helinándo mónacho auctóre
(Acta Sanctorum, Oct. V., 1852, 36–37)

Spe gaudentes, in tribulatione perseverantes

Thebaeorum mártirum sacratíssimam legiónem hodiérna die festívis attóllere láudibus admonémur, in qua pretiosíssima sanctae illíus sodalitatis pígnora, Gereónem, Victórem, Cássium et Floréntium cum eórum sóciis venerámur. Neque enim secernúntur in gáudio retributiónis, qui nullo modo dissénserant gloriósae constántia pasiónis.

Nam quamvis non uno die, nec eódem loco martýrii glóriam suscíperent, tamen secúndum apóstolum erat illis unus Dóminus, una fides, unum baptísma, unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes et per ómnia Deus in sáecula benedictus: cui simul omnes uno consílio, una devotíone, felíci perseverántia adhaerébant, impléntes actu psalmístae verba, dicéntis: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam.* In qua constánter et unanímiter summam caritátem, quae Deus est, corde credéntes ad iustítiam, ore autem confiténtes ad salútem, hanc apostólicam constántiam sédulo voluntáte et móribus meditabántur: *Quis nos separabit a caritaté Christi?* tribulátio? an angústia? an persecútio? an fames? an núditas? an periculum? an gládius? Subsequéntes étiam certam fidúciae suae causam: *Sed in his ómnibus, ínquiunt, superámus propter eum qui diléxit nos.*

Nec móveat quemquam, quod in hac nostra Thebáidis série gesta beatórum mártirum et sacrosáncta pro fide Christi certámina plena ratíone secúndum morem histórias texéntium non persolvimus: cum id nobis sit hoc sermóne propósitum, ut nobíscum páriter ad spiritále gáudium corda provocémus auditórum: quátenus supernórum accénsi desidério, plus appétant per caritátem aedificántem ad mártirum societátem profícere, quam per sciéntiam inflántem ab aetérni gáudii declaratióne defídere.

Hos insígne triumphatóres mirabilis et próvida omnipoténtis Dei dispensátio post victoriosíssimam beáti Mauritii passióinem, ádeo, quantum humánae datur indagatióni conícere, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, mora qua voluit reservávit, ut, quo plus in lácrimis semi-

narent eo iucundius fructum perennis laetitiae metarent, et, quanto latius exempla suscepisti pro Christi nomine laboris in confessione ipsius extenderent, tanto plures ad imitationem suae constantiae et magnanimitatis accenderent: cum tamen ipsi corda sursum habentes apostolico illo ferventer desiderio, quo dicit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius est.* Nam in brevi post patratum eorum martyrum paucissimi in ea qua passi sunt provincia remanserunt, qui non hoc ipsum ardenter expeterent, quod in eis dudum obstinatis pectoribus exhorterent, quasi arcta ipsa via prius non esset commebilis, quae tot fuisset praecedentium trita vestigiis.

RESPONSORIUM

R. Caeſari redimus, quae Caeſaris sunt: Deo quae sunt Dei; Christum colimus nec alium Deum, adorare possumus praeter illum: * Qui est Deum benedictus in saecula.

V. Noliut sanctum agmen idolis fléctere cervicem, sed Christum adoravit. * Qui est Deus.

In civitate Bonensi: HYMNUS Te Deum, 474.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Maiestati sacrosanctae
militans cum triumphante
iubilet Ecclesia
de triumpho Thebaeorum,
de salute peccatorum,
per horum suffragia.

Hi sunt viri testamenti,
qui ruinam detrimenti
reparant angelici;
viri fortes veri David,
quibus hostes expugnavit,
carnem, mundum, daemonem.

Romae fide confirmati,
castra movent, comitati
Romanorum aquilas.
Dis profanis immolari
iubet Caesar, adorari
simulacra impia.

Sed Thebaei, viri Dei,
quae sunt Dei, reddunt ei,
Caesari, quae Caesaris.
Bis viritim decimati,
summae libant Maiestati
decimarum decima.

In Verona, Agrippina,
et in Troia, * loca trina
consecrant martyrio;
holocaustum partiale,
nulla tamen sine sale
foederis oblatio.

Hac patrona legione
nos in bonis, Iesu bone,
loca potioribus,
ubi Patris, ubi tui
et Amoris sacri frui
mereamur gloria. Amen.

Ant. 1 Dóminus Iesus Christus Theabaeórum legiónem post passiónis suae triúmphum ad honórem sui nómínis destinávit.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I, 503.

Ant. 2 Hi viri virtúte nóbiles, fide nobilióres, étiam sub armis evangélica servant praecépta.

Ant. 3 Ista sanctórum pia societas décrévit omníno magis mori, quam relínquere Christum, et abnúere salutíferam fidem.

* Verona = Bonn; Troia = Xanten

In civitate Coloniensi:

Ant. 1 Dóminus Iesu Christus Thebaeórum legiónem post passiónis suae triúmphum ad honórem sui nóminis destinávit.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I., 503.

Ant. 2 Ecce factus est sacer iste Agrippinénsium locus mártiryrum sanguine consecrátus, salus praeséntium, prae-sídium futurórum.

Ant. 3 Gaude, Colónia felix, et lauda Deum, quia tot sanctórum custódia ab hóstibus te praemunívit.

LECTIO BREVIS

2 Cor 1,3-5

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatióne qua exhortámur et ipsi a Deo; quóniam, sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolatió nostra.

RESPONSORIUM BREVE

R. Iusti autem * In perpétuum vivent. Iusti.

V. Et apud Dóminum est merces eórum. * In perpé-tuum. Glória Patri. Iusti autem.

Ad Benedictus, ant. Iustórum est enim regnum caelórum, qui contempsérunt vitam mundi, ut pervenírent ad práemia regni; hi lavérunt stolas suas in sanguine Agni.

Preces de communi plurimorum martyrum, 1387.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem venerábilem nobis in sanctórum mártiryrum tuórum Gereónis atque sociórum (**Bonnae**: Cássii atque Floréntii) celebritáte fecísti; concéde, quáesumus: ut, sicut eos per triúmphum martýrii ad

supérna caelórum transtulísti gáudia, ita et nobis praémia largíaris aetérrna. Per Dominum.

Ad Horam medium

In civitate Bonnensi: Psalmi graduales, 1001. Si vero occurrat dominica, dicuntur psalmi de dominica hebd. I., 507.

Ad Tertiam

Ant. Dóminus Jesus Christus Thebaeórum legiónem post passiónis suae triúmphum ad honórem sui nóminis destinávit.

LECTIO BREVIS

Sap 3,5–6

Deus téntavit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos.

- V.** Laetámini in Dómino, et exsultáte, iusti.
- R.** Et gloriámini, omnes recto corde.

Ad Sextam

Ant. Hi viri virtúte nóbiles, fide nobilióres, étiam sub armis evangélica servant praecépta.

LECTIO BREVIS

Sap 10,17

Réddidit Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diei, et in luce stellárum nocte.

- V.** Iusti autem in perpétuum vivent.
- R.** Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam

Ant. Ista sanctórum pia societas degrévit omníno magis mori, quam relínquere Christum, ad abnúere salutíferam fidem.

LECTIO BREVIS

Sap 3,7–8

Fulgébunt iusti, et tamquam scintillae in arundinéto discúrrent. Iudicábunt natiónes, et dominabúntur pópu- lis, et regnábit Dóminus illórum in perpéturn.

- V. Exsultábunt sancti in glória.
R. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad II Vesperas

HYMNUS Rex sempiternae lucis auctor unice, ut ad Offi- cium lectionis.

Ant. 1 Dóminus Jesus Christus Thebaeórum legiónem post passiónis suae triúmphum ad honórem sui nóminis destinávit.

Psalmi et canticum de Communi plurimorum marty- rum, 1390.

Ant. 2 Hi viri virtúte nóbiles, fide nobilióres, étiam sub armis evangélica servant praecépta.

Ant. 3 Ista sanctórum pia societas decrevit omníno magis mori, quam relínquere Christum, et abnúere salutíferam fidem.

In civitate Coloniensi:

Ant. 1 Dóminus Jesus Christus Thebaeórum legiónem post passiónis suae triúmphum ad honórem sui nóminis destinávit.

Psalmi et canticum de Communi plurimorum marty- rum, 1390.

Ant. 2 Ecce factus est sacer iste Agrippinénsium locus mártirum sanguine consecrátus, salus praeséntium, prae- sídium futurórum.

Ant. 3 Gaude, Colónia felix, et lauda Deum, quia tot sanctórum custódia ab hóstibus te praemunívit.

LECTIO BREVIS

1 Petr 4,13-14

Caríssimi, communicántes Christi passióibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriae eius gaudeátis exsultántes. Si exprobámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, gloriae et virtútis Dei, et qui est eius Spíritus, super vos requiéscit.

RESPONSORIUM BREVE

R. Laetámini in Dómino, * Et exsultáte, iusti. Laetámini.

V. Et gloriámini, omnes recti corde. * Et exsultáte, iusti. Gloria Patri. Laetámini.

Ad Magnificat, ant. O beáta mártirum córpora, quae pro Christi confessióne prostráta, solo iacent hic sepúlta: quorum ánimae aetérna cum illo regnant in victória, quas caeli régio cum Angelis regnatúras excépit.

Preces de Communi plurimorum martyrum, 1392.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem venerábilem nobis in sanc-tórum mártirum tuórum Gereónis atque sociórum (**Bonae**: Cássii etque Floréntii) celebritáte fecísti: con-céde, quáesumus: ut, sicut eos per triúmphum martýrii ad supérna caelórum transtulísti gáudia, ita et nobis práemia largiáris aetérna. Per Dóminum.

Die 11 octobris

S. BRUNONIS, EPISCOPI

Memoria

Bruno, ultimus filius Henrici I regis et Mathildis eius uxoris anno 925 natus atque ab Balderico episcopo Traiectensem optime eruditus, anno 953 a fratre Ottone I imperatore archie-piscopus Coloniensis et simul dux Lotharingiae nominatus est. Eius consilio et opere Otto in rebus et publicis et ecclesiasticis gerendis saepissime utebatur. Aequales Brunonem litterarum

doctissimum, pietati deditissimum pacisque amantissimum praedicant. Monasteria aedificando et reformando vitam christianam renovavit; Coloniae abbatiam S. Pantaleonis et monasteria S. Martini atque S. Andreae fundavit. Erga pauperes semper fuit beneficus distributor rerum suarum. Anno 965 iter Rhemos fecit, quo in oppido die 11 octobris mortuus est. Depositus est Coloniae in ecclesia abbatiali S. Pantaleonis, in cuius cryptis sepulchrum eius hodie colitur.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Oratio sancti Brunonis episcopi ante mortem habita
(Ruoer, Vita Brunonis, n. 44: MGH SS rer Germ NS
10,47–48)

Tria genera confessionis

Tria mihi videntur genera esse confessio[n]is, quibus se cor hominis Domino Deo suo, *renum testi et scrutatori* cordium, patefacit, non ut ipsi, qui nihil non novit, lucidius innotescat, sed ut ille, qui se parum novit, veracius semetipsum agnoscet et aut Deum in benefactis laudet aut se in malefactis accuset. Hoc semper fieri debet – sic enim vigilare praecipimur, ne fur veniat, quando nobis incautis damnum illatus irrepatur –, tum pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam necesse est, ut mens se quibus possit viribus erigat, qua valeat intentione iudicii suo appropinquanti assurgat, sotritis terrenis desideriis spe ad superna flagret, bona perennia, etsi non meruit, minime tamen desperet, sibi confidat, in Domino confidat. Ecce, fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur ianua pectoris mei, vocor ad reddendam rationem operis mei. Si quid potestis, rogo, ferte praesidium, orationis vestrae porrigit manum. Incertus inter spem metumque feror, ut in neutram partem proximor inflectar, id vero entendem est. Sed quae sunt vires meae? Misericordiae remedium praestolor, in manu Creatoris mei sum, de me, quod ipsi placet, ut fiat, exspecto.

Bonum est confitéri Dómino, conféssio et magnificéntia opus eius. Non enim áliquid boni, nisi ipso operánte, fíeri potest. Est autem quaedam conféssio non peccáta deplórans, misericórdiam tamen implórans, de qua per psalmístam ex persóna Dómini dícitur: Sacríficium laudis honorificábit me; et illuc iter, quo osténdam illi salutáre meum. Hoc salutáre, id est Dóminum Iesum, ore confíteor et corde credo, quod Deus illum suscitávit de mórtuis. Hic omnes thesáuros sapiéntiae et sciéntiae abscónditos agnósco. Hunc Dóminum Iesum nemo potest dícere nisi in Spíritu Sancto. Ante illum est omne desidérium meum, et gémitus meus ab eo non est abscónditus. Dixi, confitébor advérsum me iniustítias meas Dómino, quod est secúndum genus confessiónis, lamentábile in peccátis.

Tértium, quod comméndat beátus Iacóbus apóstolus: *Confitémini, ínquiens, altérutrum peccáta vestra et oráte pro ínvicem, ut salvémini, hoc vobíscum, dómini et fratres mei, ágere volo, hoc ánchie quaero. Spero autem, quod advocátum habémus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiáto pro peccátis nostris.*

RESPONSORIUM

Iac 5,16; cf. Eph 2,14.16

R. Confitémini altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem ut salvémini: * Multum enim valet deprecátió iusti assídua.

V. Christus Iesus est pax nostra, et reconcíliat nos Deo per crucem, interfíciens inimicitias in semetípso. * Multum enim.

Oratio

Deus, tuórum splendor sanctórum, qui beátum Brunónem epíscopum núnctum pacis in regnum et terrénum et caeléstem misísti; concéde, quáesumus, eius précibus: ut, qui concórdes sunt, in unitáte permáneant, et qui discórdes sunt, dilectione tua pacífica uniántur. Per Dóminum.

Die 21 octobris

SS. URSULAE SOCIARUMQUE EIUS, VIRGINUM
ET MARTYRUM

Memoria

PATRONAE PRINCIPALES CIVITATIS COLONIENSIS

In civitate Coloniensi sollemnitas

Legenda tradit: Ursulam, filiam cuiusdam Anglorum regis, magna sociarum caterva comitante Roma navibus revertentem ab Hunnis urbem Coloniam obsidentibus oppressam esse atque interfectam. Non dubium est quin legenda ordita sit a quodam virginum martyrio saeculo tertio passo, de quo Colonienses commemorant. Ab archeologiae peritis nuper inventum est sacellum pervetus super tria (?) sepulchra aedificatum, quo in loco – secundum inscriptionem veterem in basilica S. Ursulae servatam – postea Romanorum imperio adhuc stante maior ecclesia exstructa est. Numerus virginum ad undecim milia auctus est ea quoque ratione, quod ecclesia illa super coemeterium sita erat. Veneratio sanctae Ursulae eiusque sociorum a saeculo duodecimo per totum occidentem diffusa est.

Verba inscriptionis supradictae haec sunt: „Divinis flammeis visionibus frequenter admonitus et virtutis magnae maiestatis martyrii caelestium virginum imminentium ex partibus orientis exhibitus pro voto Clematius v(ir) c(larissimus) de proprio in loco suo hanc basilicam voto quod debebat a fundamentis restituit. Si quis autem super tantam maiestatem huius basilicae, ubi sanctae virgines pro nomine Christi sanguinem suum fuderunt, corpus alicuius deposuerit exceptis virginibus, sciat se sempiternis tartari ignibus puniendum.“

Ad I Vespertas

(Coloniae tantum)

Omnia ut ad II Vespertas, 40*, exceptis psalmis de Communi virginum, Vol. IV., 1454.

Ad Invitatorium

Ant. Regem regum Dóminum, veníte, adorémus: Quia ipse est coróna sanctárum vírginum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario, 471.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Nova bella virginum
 Dominus elegit,
 ab extremis hominum
 quas sibi collegit.

Pugnant sexu fragiles
 caelitus imbutae,
 sed insuperabiles
 fidei virtute.

Non armis, sed animis
 istas bellatrices
 efficit unanimis
 gratia victrices.

Fortiores hostibus
 feminae fuerunt,
 quae contemptis omnibus
 omnia vicerunt.

Unus enim spiritus
 acies caelestes
 fidei divinitus
 adunavit testes.

Trinitatis gloriam
 cantet creatura,
 quod tenet victoriam
 debilis natura. Amen.

Ant. 1 Tradidérunt córpora sua ad supplícia, et
 meruérunt habére corónas perpétuas.

Psalmii de Communi virginum, 1459.

Ant. 2 Sanctíssima virgíntas, Deo disponénte, in suo
 gradu usque ad sanguinis effusiónem permánsit.

Ant. 3 Ideo laudábilis virgíntas, quia et in martýribus
 reperítur, et ipsa mártires facit.

V. Notas mihi fecísti vias vitae.

R. Adimplébis me laetítia cum vultu tuo.

LECTIO PRIOR (Coloniae tantum)

De Epístola secúnda beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios

4,6-18

Tribulationem patimur, sed non perimus

Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminationem sciéntiae claritatis Dei, in fácie Christi Iesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis.

In ómnibus tribulatióne pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutióne pátimur, sed non derelínquimur; deiícimur, sed non perimus: semper mortificatióne Iesu in cópore nostro circumferéntes, ut et vita Iesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem trádimur propter Iesum: ut et vita Iesu manifestétur in carne nostramortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúndem spíritum fídei, sicut scrip-tum est: „Créddi propter quod locútus sum“; et nos crédi-mus, propter quod et lóquimur: sciéntes quóniam qui sus-citávit Iesum, et nos cum Iesu suscitábit, et constitúet vobíscum.

Omnia enim propter vos: ut grátia abúndans, per mul-tos in gratiárum actiόne, abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: sed licet is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intus est, renovátur de die in diem. Id enim quod in praesénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostraræ, supra modum in sublimitáte aetérnum glóriae pondus operátur in nobis. Non contemplánti-bus nobis quae vidéntur, sed ea quae non vidéntur. Quae enim vidéntur, temporália sunt: quae autem non vidéntur, aetérna sunt.

RESPONSORIUM

Rom 8,17-18

R. Herédes quidem sumus Dei, coherédes autem Christi: * Si tamen compátimur, ut et conglorificémur.

V. Non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in vobis. * Si tamen.

LECTIO ALTERA

Ex Homilía in festo S. Ursulae hábita (Ioseph Teusch † 1976)

Sanguis martyrum - semen Christianorum

In último sacrae Scriptúrae libro apud Ioánnem légitimus; *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópolis et linguis; stantes ante thronum, et in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmae in móribus eórum.* Tum Iónnes de liturgía caelésti, quam videt et audit, haec commémorat: *Et clamábant voce magna dicéntes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.*

„Amícti stolis albis“ mártires sunt ex ómnibus pópolis omnibúsque tempóribus coácti. Neque persecutóres neque persecutióne vexáti adhuc in terris sunt, sed interfécti tortique, omni terrae cruciátu finito, novam cum Deo et in Deo vitam ágere coepérunt.

Média autem in visióne cum Ioánne cognoscimus sanctam Ursulam eiúsque catérvam inter órdines eórum mártirum, qui ad númerum tot mílium sub império Románo sanguinem effudérunt pro Christo.

In illa autem magna, quam dinumeráre nemo póterat, turba computámus et mártires sáeculi nostri, qui número exsúperant omnes mártires priórum témporum. Ecclésiam hódie nostram ecclésiam esse mártirum et confessórum constat.

Exémplo et mandáto Christi fides praedicatione diffunditur. Sed ei, qui práedicat, fidem hómines non habébunt, nisi víderint ópera caritatis eius; secúndum illud: „Ecce quantópere amant se ínvicem Christiáni!“ et: *Dóminus autem augébat, qui salvi fíerent, quotídie in idípsum.* Neque non credent illi, qui ságuine in martýrio dato testátus est rem Christiánam sibi esse summam ómnium. Nam qui libertátem, vitam, bona, pecúniam, ipsam famíliae suae salútem nélegens secútus est Christum, eius verbis fides certe habénda erit. Quae cum ita sint, iam a primis Christiánis tráditum est illud: „Sánguis mártirum est semen Christianórum.“

Imminuérint pericula persecutionésque a princípio usque ad annum tricentésimum tertium décimum vitae Christianórum, neque erat, cur sperárent persecutiónis finem. Libertáte extérrna hoc anno data nihilominus fre-quéntem numeráres pópulum Christianórum in império Romanó, praesértim in óppidis urbibusque, et quod restábat paganitatis, id mox evánuit. Gentes Germanórum et Slavórum apparébant atque ad fidem Christiánam se convertébant. Sic fundátum est mediáevum Christiánum atque occidentále. Cápite submisso salutámus sanctam Ursulam cum catérva eius atque omnes impérii Románi mártires.

Licet persecutóres interfícient fidéles, fidem non oppri-ment, immo sanguis mártirum erit semen Christianórum!

Festum nunc in honórem sanctae Ursulae sociarúmque eius celebrantes in liturgia illa caelésti participámus a choris mártirum, sanctórum ómnium et angelórum cele-bráta, quorum vócibus respóndent terra et mare et ómnia, quae in eis sunt. Grátias agámus Dómino Deo nostro, qui et choros angelórum et per Spíritum Sanctum choros mártirum sanctorúmque fecit, humíliter peténtes, ut per eúndem Spíritum Sanctum in nobis sit ánimus ad praedi-candum fortis atque ad ópera caritatis et ad ómnia bene promptus.

RESPONSORIUM

Cf. Apc 7,14

R. Ista sunt, quae testaménto Dei sua cōpora tradi-dérunt; * Et in sanguine Agni lavérunt stolas suas.

V. Tradidérunt cōpora sua propter Deum ad supplí-cia, et meruérunt habére corónas perpétuas. * Et in sán-guine.

Vel alia:

Ex Sermóne mediaeváli in festo S. Ursulae hábita
(Sermo in natali Ss. Virginum XI milium: Joh. Hubert Kes-sel, St. Ursula und ihre Gesellschaft. Köln 1863, 156–167)

Martyrium virginum est gloria civitatis Coloniae

Sancta Coloniensium vírginum ágmina nobis hódie sunt non minus admiránda quam veneránda. In harum ergo festivitaté nobis omni témporte celeberrima, quod méritum eárum primum, quod dicámus últimum, ignorámus; nullum enim in eis nisi máximum scimus.

Nam cur caeléstis huius exércitus a princípio gesta simul et próelia non scriberéntur, ut sic demum púrius et lucídius ad aures posteritatis transmitteréntur, quotus in omni gente mirári débeat, cum causam huius negligéntiae commúnis pene ómnium populórum afflíctio per bárbaros his máxime régionibus debacchántes inflícta perdóceat? Per quam étiam hoc factum est, ut earúndem sanctárum vírginum memória post incénsam sanctórum cóporum custódem ecclésiam paulátim ab ore primum, deinde ab ipso péctore religíosi dudum pópuli laberétur.

Haec nihilominus neglegéntia de honorándis thesáuri pretiosíssimi lóculis in nostráribus ádeo veheménter indúruit, ut ex remótis valde orientálium régionum pártibus Clemátius quidam vir, ut rerum éxitus dócuit, clarus simul et religíosus atque ad honoráandas illustrandásque fama páriter et múnere sanctárum vírginum sepultúras idóneus, crebris visiónum prodígiis, terróribus et documéntis Colóniam invitátus accéderet et quaecúmque coáctus in suo loco primum timóre spopónderat, hic in redintegranda beatárum vírginum basílica religiónis devotíone perfíceret. Cuius monuménta lapídibus isthic servántur incisa, quae et huic óperi verbis eisdem putávi inserénda:

„Divínis flámmeis visiónibus frequénter admónitus et virtútis magnae maiestatis martýrii caeléstium vírginum imminéntium ex pártibus oriéntis exhibitus pro voto Clemátius v(ir) c(laríssimus) de próprio in loco suo hanc basílicam voto quod debébat a fundaméntis restítuit.“

In hoc provínciu domínico ad acutíssimum verae sapiéntiae intúitum corde étiam corporéque dirécto, quanta prudéntiae viguísset sagácitas, iustítiae áequitas, temperántiae véritas, fortitúdinis animósitas, illi tantum felíciter et sóbrie probáre possunt, qui felíciter pro more

suo imitári paráti sunt. Céterum nos hodiérna non solum laetítia, sed et omni tempore in hoc magnífice gloriámur, occurénte lictórum immanitáte hanc Agrippínae Coloniae terram non ut hóspitam solum modo praetereúndo salutavérunt, sed hic martýrii victória coronátae eam ut pròpriam effusióne sancti sui sanguinis manéndo decoravérunt, nobísque in pretiósis suis corpóribus tantum contulérunt patrocínii, quantum tot mília digne supplicántibus possunt impetrare remédii apud misericórdiam nostri Redemptóris únici Dei Patris, qui se quocúmque íerit sequéntibus sanctárum vírginum agmínibus et afféctum pro nobis orándi benígnus inspírat et efféctum miséricors praestat; qui cum ipso Deo Patre suo et ambórum carítate Spíritu Sancto unus omnípotens Deus vivit et regnat in sáecula saeculórum. Amen.

RESPONSORIUM

R. Gloriósum sanguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua: imitátae sunt eum in morte sua: * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt.

V. Unus spíritus, et una fides erat in eis. * Et ídeo.

In civitate Coloniensi: HYMNUS Te Deum, 474.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Vox sonat Sponsi: Diurna cessit
nunc hiems, tristes abierte nimbi,
ver adest, flores redolent; paratae
surgite, sponsae.

Obviam Iesu properate ovantes
virgines: Vestrum caput ipse cinget
liliis: secum thalamo receptas
ipse beabit.

Vos enim nullus labor hoc in orbe
terruit, Sponsi memores amantis;
huius et causa tolerastis ultro
aspera quaeque.

Ipse, qui vobis moriens supernas
addidit vires, simul edomare
corporis sexum dedit, et cruentas
vincere pugnas.

Hinc fidem Christo, semel obligatam,
usque servastis; rutilaque vestra
impigre lampas, nihil imbre et atris
victa procellis.

Terra nunc vobis patet unde curae
exsulant omnes, ubi nil opacat
limpidi caeli faciem, perennis
sol ubi fulgert.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
temporis aevo. Amen.

Ant. 1 Sancta Ursula cum sodáibus Deo vovit virginitatis integritátem.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I., 503.

Ant. 2 Sancta Ursula virgo totum sodalícium ad corónas animabat.

Ant. 3 Elegérunt magis mori, quam a sponso Christo separári.

LECTO BREVIS

Rom 8,38–39

Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quae est in Christo Iesu Dómino nostro.

RESPONSORIUM BREVE

R. Tibi dixit cor meum: * Quaesívi vultum tuum. Tibi dixit.

V. Vultum tuum, Dómine, requíram. * Quaesívi vultum tuum. Glória Patri. Tibi dixit.

Ad Benedictus, ant. Máyrtýrum chorus, laudáte Dóminum de caelis, allelúia.

PRECES

Christo, vírginum sponso et corónae, laetis vócibus iubilémus, et devóte eum exorémus, dicéntes:
Iesu, coróna virginum, audi nos.

Christe, quem sanctae vírgenes ut únicum sponsum dilexérunt,

- concéde ut nihil a tua caritáte nos séparet.

Qui Mariám, matrem tuam, regínam vírginum coronásti,
- da nos, eius intercessióne, cordis puritáte tibi iúgiter famulári.

Per intercessiónem ancillárum tuárum, quae íntegro et indivíso corde semper de te sollícitae fuérunt, ut essent sanctae córpore et spíritu,

- praesta ut figúra huius mundi, quae praeterit, nos a te numquam ábstrahat.

Dómine Iesu, sponse, quem vírgenes sapiéntes adventúrum exspectábant,

- concéde nobis, ut in spe vigilántes te praestolémur.

Per intercessiónem sanctárum Ursulae sociarúmque eius, quae vírgenes fuérunt sapiéntes et de número prudéntum,

- praesta nobis innocéntuam vitae et sapiéntiam.

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui sacrátis tibi virgínibus mirándi agónis robur indidísti, quo per martyrii palmam ad supérnae contemplationis pertíngerent gloriam; da Christiánis loco triúphi éarum habitántibus et ómnibus fidélibus: ut, spe resurrectiónis confirmáti, ad caeléstem societátem cum eis perducántur. Per Dóminum.

Ad Horam medium

In civitate Coloniensi: Psalmi graduales, 1001. Si vero occurrat dominica, dícuntur psalmi de dominica hebd. I., 507.

Ad Tertiam

Ant. Sancta Ursula cum sodálibus Deo vovit virginitátis integritatétem.

LECTIO BREVIS**1 Petr 5,10-11**

Deus omnis grátiae, qui vocávit nos in aetérnam suam glóriam in Christo Iesu, módicum passos ipse perficiet, confirmábit, solidabítque. Ipsi glória et impérium in sáecula saeculórum. Amen.

V. Glória et honore coronásti eas, Dómine.

R. Et constituísti eas super ópera mánuum tuárum.

Ad Sextam

Ant. Sancta Ursula virgo totum sodalícium ad choros animábatur.

LECTIO BREVIS**Apc 7,14**

Venérunt de tribulatióne magna et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sanguine Agni.

V. Exsultavérunt filiae Iuda.

R. Propter iudícia tua, Dómine.

Ad Nonam

Ant. Elegérunt magis mori, quam a sponso Christo separári.

LECTIO BREVIS**Sap 4,1**

O quam pulchra est casta generatio cum claritaté! Immortális est enim memória illíus, quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

V. Elégit eas Deus et praeelégit eas.

R. In tabernáculo suo habitare facit eas.

Ad II Vespertas

HYMNUS Nova bella virginum, **ut ad Offcium lectionis,** vel Vox sonat Sponsi, **ut ad Laudes matutinas.**

Ant. 1 Sancta Ursula cum sodálibus Deo vovit virginitátis integritatétem.

Psalmi et canticum de Communi virginum, Vol. IV.,
1471.

Ant. 2 Sancta Ursula virgo totum sodalícium ad corónas animábat.

Ant. 3 Elegérunt magis mori, quam a sponso Christo separári.

LECTIO BREVIS

Apc 12,11-12

Vicérunt propter sanguinem Agni, et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimam suam usque ad mortem. Propterea laetámini caeli, et qui habitatis in eis.

RESPONSORIUM BREVE

R. Pars mea Dóminus, * Dixit áнима mea. Pars mea.

V. Bonus est Dóminus ánimae quaerénti illum. * Dixit áнима mea. Glória Patri. Pars mea.

Ad Magnificat, ant. O beáta vírginum córpora, quae pro Christi confessióne prostráta, solo iacent hic sepúlta: quarum ánimae aetérrna cum illo regnant in victória, quas caeli régio cum Angelis regnatúras excépit.

PRECES

Christum, qui virginitatēm propter regnum caelorum coléntes laudávit, festíve celebrémus et exorémus, dicéntes: *Iesu, rex vírginum, audi nos.*

Christe, qui Ecclésiam vírginem castam tibi uni Sponso, exhibuísti,

- - - - - *immaculátam eam redde et sanctam.*

Christe, cui óbviām vírgines sanctae cum lampádibus exiérunt,

- - - - - *ne permíttas umquam fidelitatis óleum in lampádibus tibi devotárum ancillárum defícere.*

Dómine, cui Ecclésia virgo fidem íntegram et puram iúgiter custodívit,

- concéde Christiánis ómnibus fidei integritátem et puritátem.

Qui tríbuis pópulo Coloniénsi de sanctárum vírginum Ursulae sociarúmque eius festivitáte gaudere,

- praesta, ut de eárum étiam semper intercessióne laetéatur.

Qui ad cenam nuptiárum tuárum sanctas vírgines recepísti,

- defúnctos in aulam caeléstis convívii benígnus admítte.

Pater noster, **etc.**

Oratio

Deus, qui sacrátis tibi virgínibus mirándi agónis robur indidísti, quo per martyrii palmam ad supérnae contemplatiónis pertíngerent glóriam; da Christiánis loco triúmphie eárum habitántibus et ómnibus fidélibus: ut, spe resurrectiōnis confirmáti, ad caeléstem societátem cum eis perducántur. Per Dóminum.

Die 23 octobris
S. SEVERINI, EPISCOPI

Memoria

Severinus anno fere 400 sancto Martino episcopo Turonensi vivo ecclesiae Coloniensi praeftuit. Per idem tempus gentes Germanorum sedes mutabant et urbs Coloniensis in potestatem populi Francorum redacta est. Severinus in sacello coemeteriali extra moenia ad meridiem sito sepultus est; eodem loco postea ecclesia maior in honorem sancti episcopi aedificata est, in qua reliquiae eius pie servantur.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Libris sancti Hilárii epíscopi de Trinitáte
 (Lib. VIII, 1: PL 10,236–237)

Vita episcopi ornetur docendo, et doctrina vivendo

Beatus apóstolus Paulus formam constituéndi episcopi fingens, et plane novum Ecclésiae hóminem praecéptis suis condens, hanc véluti summam consummatárum in eo virtútum esse dócuit dicens: *Obtinéntem secúndum doctrínam fídei verbum, ut potens sit exhortári ad doctrinam sanam, et contradicéntes revíncere.* Sunt enim multi et non súbditi, vaníloqui et seductóres. Ita enim quae pròpria disciplínae ac morum sunt, ad sacerdótii méritum utilia esse significat, si étiam haec quae ad docéndae ac tuéndae fídei sciéntiam necessária sunt, inter réliqua non déerunt, quia non statim boni atque útilis sacerdótis est, aut tantúmmodo innocénter ágere, aut tantúmmodo sciénter praedicáre: cum et ínnocens sibi tantum profíciat, nisi doctus sit; et doctus sine doctrínae sit auctoráte, nisi ínnocens sit.

Non enim apostólicus sermo probitátis honestatísque praecéptis hóminem tantum saéculo confórmat ad vitam, neque rursum per doctrinae sciéntiam scribam Synagógæ instituit ad legem: sed perféctum Ecclésiae príncipem perféctus maximárum virtútum bonis instituit, ut et vita eius ornétur docéndo, et doctrína vivéndo. Dénique ipsum illum, ad quem ei sermo erat, Titum istiúsmodi degréto consummández religiónis instrúxit: *In ómnibus te ipsum bonórum factórum praebens exémplum docéntem cum veneratióne verbum sanum, irreprehensíbile; ut adversárius revereátur, nihil habens turpe aut malum de nobis dicere.*

Non ignorávit doctor hic géntium, et, ex consciéntia loquéntis atque habitántis in se Christi, Ecclésiae eléctus magíster, mórbidi elóquii grassatúra esse contágia, et advérsum sanitátem verbórum fidélium desaevitúram doctrinae pestíferae corruptiónem, quae ímpiae intelli-

géntiae suaे luem usque ad ipsam sedem ánimae demér-gens, profundo sérperet malo. Ex his enim ait: *Quorum sermo ut cancer serpit, laténti semper subrepentíque contágio sanitátem pervásae mentis infíciens.* Ob quod sani sermónis in epíscopo vóluit esse doctrínam, fídei consciéntiam, et exhortatónum sciéntiam, advérsum ímpias et mendáces et vesánas contradictíones obtinéntem. Multi enim sunt, qui simulántes fidem non súbditi sunt fídei, sibíque fídem ipsi pótius constítuant, quam accípiunt, sensu humánae inanitátis infláti, dum quae volunt sápiunt, et nolunt sápere quae vera sunt: cum sapiéntiae haec véritas sit, ea intérdum sápere quae nolis. Séquitur vero hanc voluntátis sapiéntiam sermo stultítiae: quia necéssse est quod stulte sápitur, stulte et praedicétur.

RESPONSORIUM

Mt 25,21.20

R. Euge, serve bone et fídelis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

V. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. * Intra.

Oratio

Aduiuent Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Severíni epís-copi mérita, qui tempóribus perturbátis gregem sibi comíssum non relíquit et pagános in fidéles convértit; prae-sta fámulis tuis eiúsdem sancti suffrágiis: ut in veritáte tui confessiónis inveniántur, neve ullis perturbationibus ánimi a te separéntur. Per Dóminum.

Die 24 octobris
S. EVERGISLI, EPISCOPI

Evergislus episcoporum Coloniensium primus est nominis Franci. Qui, postquam gentes Germanorum mutare sedes desierunt, vitae christianaे renovandae pacique ecclesiasticae restituendae consuluit. Eo ipso tempore ecclesia „ad sanctos aureos“ (S. Gereonis) commemoratur. Evergislus ante annum 594 mortuus est. Archiepiscopus Bruno I reliquias eius ex

oppido Tungrensi, in quo legenda ferente Evergislus a latronibus occisus erat, Coloniam in ecclesiam S. Caeciliae transferri iussit. Quae ex tempore „saecularisationis“ saeculo undevicesimo actae in ecclesia parochiali S. Petri servantur.

De Communi pastorum, Vol. III., 1421.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístola sancti Ignáttii epíscopi ad Ephésios
(III–VI: F. X. Funk, Opera patrum apostolicorum Vol. I,
Tubingae 1881, 175–179)

Unitas cum episcopo – unitas in Deo

Cum cáritas non sinat me tacére de vobis, propterea antevérti vos admonére, ut uniámini in senténtia Dei. Etenim Iesu Christus, inseparabilis nostra vita, senténtia Patris est, ut et epíscopi, per tractus terrae constitúti, in senténtia Iesu Christi sunt. Unde decet vos in senténtiam epíscopi concúrrere, quod et fácitis. Nam memorábile vestrum presbytérium, dignum Deo, ita coaptátum est epíscopo ut chordae cítharae. Propter hoc in consénsu vestro et concórdi caritáte Iesu Christus cánitur. Sed et vos sínguli chorus estóte, ut cónsoni per concórdiam, melos Dei recipiéntes in unitáte, cantétis voce una per Iesum Christum Patri, quo et vos áudiat et agnóscat ex iis, quae bene operámini, mebra esse vos Filii ipsíus. Utile itaque est, in immaculáta unitáte vos esse, ut et semper partícipétis Deo.

Si enim ego brevi témporis spátio talem consuetúdinem contráxi cum epíscopo vestro, quae non humána sed spirituális est; quanto vos beatíores iúdico, coniúnctos ei sicuti Ecclésia Iesu Christo et sicut Iesu Christus Patri, ut ómnia per unitátem conséntiant? Nemo erret: nisi quis intra altáre sit, privátur pane Dei. Si enim uníus atque alteríus precálio tantam vim habet, quanto magis illa, quae epíscopi est et totius Ecclésiae? Qui ígitur in convéntum non venit, hic iam supérbia elátus est et seípsum separávit atque iudicávit. Scriptum est enim: *Supérbis résistit Deus.*

Studeámus igitur epíscopo non resistere, ut simus subiécti Deo. Et quándiu quis epíscopum tacéntem videt, tanto magis eum revereátur; quemcúmque enim paterfamílias mittit ad gubernándam famíliam suam, hunc ita accípere debémus ut illum ipsum, qui mittit. Maniféstum igitur est, quod epíscopum respícere opórteat ut ipsum Dóminum.

RESPONSORIUM

1 Petr 2,4–5; Ps 117,21

R. Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum. * Et ipsi tamquam lápides vivi superaedificámini, domus spiritális, sacerdótium sanctum, offérre spiritáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

V. Hic est lapis, qui factus est in caput ánguli. * Et ipsi.

Oratio

Deus, qui beáto Evergíslo epíscopo vitam christiánam instaurándam pacémque Ecclésiae confirmándam tribuísti; concéde nobis, quáesumus, eius suffrágiis: ut fide et caritaté renovémur, neve concórdia fovénda desistámus. Per Dóminum.

Die 7 novembris

S. ENGELBERTI, EPISCOPI ET MARTYRIS

Engelbertus, anno fere 1185 filius comitis Engelberti de Monte natus, anno 1199 praepositus capituli cathedralis Coloniensis factus, anno 1216 archiepiscopus eiusdem urbis electus est. Fridericus II imperator Germaniae eum administratorem regni tutoremque filii sui Henrici instituit, quem Engelbertus anno 1222 in urbe Aquisgranensi coronavit. Pacem publicam servandem curavit; monasteria defendit ab advocatis nobilibus, qui saepe oppressores se praebuerunt. Ideo Fridericus de Isenburg, advocatus coenobii Essendiensis, cognatus Engelberti, omnibus viribus utebatur, ut eum caperet. Archiepiscopum anno 1225 die 7 novembris prope Gevelsberg aggressus est; Engelbertus se defendens occisus est. Anno 1226 in ecclesia cathedrali Coloniensi sollemniter depositus et ab legato cardi-

nali Conrado de Porto martyr declaratus est. Reliquiae beati Engelberti hodie, in tumba artificiosa conditae, in ecclesia cathedrali quiescunt.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421, vel unius martyris, 1398.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Enarrationibus sancti Augustíni epíscopi in Psalmos
(In Ps 126,2–3: PL 36, 1668–1669)

Vanus est labor noster, nisi ille custodiat

Dóminus aedíficat domum, Dóminus Iesus Christus aedíficat domum suam. Labórant multi in aedificándo; sed si non ille aedíficet, *in vanum laboravérunt aedificántes eam*. Qui sunt qui labórant aedificántes? Omnes qui in Ecclésia práedicant verbum Dei, minístri sacramentórum Dei. Nos ergo lóquimur foris, ille aedíficat intus. Quómodo audiátis, nos advértimus; quid cogítétis, ille solus novit qui cogitáções vestras videt. Ipse aedíficat, ipse monet, ipse terret, ipse intelléctum áperit, ipse ad fidem ápplicat sensum vestrum: et tamen laborámus et nos tamquam operárii; sed *nisi Dóminus aedificáverit domum, in vanum laboravérunt aedificántes eam*.

Habet domus custódes: quómodo habet aedificántes, laborántes ut aedificétur, sic habet et custodiéntes. Et epíscopi hoc fáciunt. Nam ídeo áltior locus pósitus est epíscopis, ut ipsi superinténdant, et tamquam custódiant pópulum. Nam et graece quod dícitur epíscopus, hoc latíne superinténtor interpretátur. Et de isto alto loco periculósa rédditur rátio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitáte sub péribus vestris simus, et pro vobis orémus, ut qui novit mentes vestras ipse custódiat. Quia nos intrántes vos et exeúntes póssumus vidére; usque ádeo autem non vidémus quid cogítétis in córdibus vestris, ut neque quid agátis in dómibus vestris vidére possímus. Quómodo ergo custodímus? Quómodo hómines; quantum póssumus, quantum accépimus. Et quia nos sicut hómines custodímus, et

perfécte custodíre non póssumus, ídeo sine custóde remanébitis? Absit. Nam ubi est ille de quo dícitur, *Nisi Dóminus custidérer civitátem, in vanum laborávit qui custódit eam!* Laborámus in custodiéndo, sed vanus est labor noster, nisi ille custódiat qui videt cogitáções vestras. Custódit ille cum vigilátis, custódit et cum dormiéritis. Custodímus enim vos ex offício dispensatiónis, sed custodíri vólumus vobíscum. Tamquam vobis pastóres sumus, sed sub illo Pastóre vobíscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctóres sumus, sed sub illo uno Magístro in hac schola vobíscum condiscípuli sumus.

RESPONSORIUM

1 Petr 2,4–5; Ps 117,21

R. Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum. * Et ipsi tamquam lápides vivi superaedificámini, domus spiritális, sacerdótium sanctum, offérre spiritáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

V. Hic est lapis, qui factus est in caput ánguli. * Et ipsi.

Oratio

Deus, spes imbecillórum, in cuius honórem beátus póntifex Engelbértus tuéndo oppréssos vitam suam impéndit; praesta, quáesumus: ut omnes, qui eius implórant auxílium, petitiónis suaे virtútem consequántur. Per Dóminum.

Die 8 novembris

BEATI IOANNIS DUNS SCOTI, RELIGIOSI
ET PRESBYTERI

Ioannes Duns Scotus anno 1265 in Duns (Scotia) natus est. Inter Fratres Minores adscriptus, anno 1291 presbyter ordinatus est. Studiis Lutetiae Parisiorum et Oxoniae peractis, philosophiam et theologiam docuit Cantabrigiae, Oxoniae ac Lutetiae Parisiorum, ab anno 1307 Coloniae. Dictus „Doctor subtilis“, Dei caritatem, quae sit fundamentum solum incarnationis Filii sui et totius operis redemptionis, semper proclamavit. Immaculatam conceptionem Beatae Mariae Virginis a Christo

praeredemptae asserens, et „Doctor Marianus“ vocatur. Obiit Coloniae die 8 novembris anno 1308 et ibidem in ecclesia Fratrum Minorum sepultus est.

De Communi pastorum, Vol IV., 1421.

Ad Officium Lectionis

LECTIO ALTERA

Ex „Ordinatione“ Beati Ioannis Duns Scoti

(Lib. III d.28 q.un. n. 2-3; Opera omnia, ed Vivés,
XV 378b-379b)

De caritatis essentia et unicitate

Caritatis dicitur hábitus quo Deus habétur carus. Posset autem Deus habéri carus álico amóre priváto, quo amans nollet habére condiligéntem (sicut in zelotypis habéntibus mulieres caras). Sed ille hábitus nec esset ordinátus nec perféctus.

Non quidem ordinátus, quia Deus, qui est bonum commúne, non vult esse bonum privátum alicuius; nec secúndum rectam ratiónem debet áliquis sibi appropriáre istud bonum commúne. Et ídeo amor ille inclínans ad hoc bonum ut ad bonum próprium, non condiligéndum nec habéndum ab alio, esset inordinátus.

Esset etiam imperféctus, quia perfécte díligens vult diléctum díligi; igitur Deus infúndens hábitum quo anima ordináte et perfécte tendat in ipsum, dat hábitum quo habeátur carus, ut bonum commúne et condiligéndum ab áliis. Et ita hábitus ille, qui est Dei, inclínat étiam ad velle ipsum haberi carum et díligi ab álio.

Sicut igitur ille hábitus inclínat ad diligéndum Deum in se ordináte et perfécte, ita inclínat ad velle eum díligi a se et a quocúmque álio, cuius amicítia sit grata ei.

Ex hoc patet quáliter hábitus caritatis sit unus, quia non respícit primo plura obiécta, sed solum Deum respícit pro primo obiécto ut in se bonum primum, et secundário velle eum díligi et per dilectionem habéri a quocúmque, quantum est in se, quia in hoc est perfécta et ordináta diléctio éius. Et hoc voléndo, dílico me et próximum ex caritáte,

voléndo mihi et sibi velle et per dilectionem habére Deum in se.

Patet igitur quod eódem volo Deum et volo te velle Deum. Et hoc dílico ex caritáte, quia secúndum hoc volo tibi bonum iustítiae.

Et secundum hoc non assinátur próximus quasi secún-dum obiectum caritatis, sed quasi omnino accidentale obiectum, quia ut áliquid potens condilígere mecum perfécte et ordináte diléctum; et ad hoc eum dílico ut condilí-gat. Et in hoc quasi accidentáliter eum diligo, non propter eum, sed propter oblécum quod volo ab eo condíligi. Et in voléndo hoc ab eo díligi, volo sibi implíciter bonum, quia bonum iustítiae.

RESPONSORIUM

1 Io 4,10-11.16

R. Deus diléxit nos et misit Fílium suum propitiatió-nem pro peccátis nostris. * Sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum diligere.

V. Et nos, qui credidimus, cognovimus caritátem, quam habet Deus in nobis.

R. Si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum diligere.

Oratio

Domine Deus, fons omnis sapiéntiae, qui Beátum Ioán-nem presbýterum, Immaculátae Vírginis assertórem, nobis magistrum vitae et sciéntiae dedísti, concéde, quáe-sumus, ut, eius exémplo illumináti, et doctrínis nutría, Christo fidéliter adhaereámus. Qui tecum vivit.

Die 12 novembries

S. CUNIBERTI, EPISCOPI

Memoria

Memoria S. Josaphat in ecclesia universale in diem 12 no-vembries, in Archidioecese Coloniensis in diem 14 novembries.

Cunibertus, in regione Mosellana natus, archidiaconus ecclesiae Treverorum factus, anno fere 623 episcopus Coloniensis ordinatus est. Qui, postquam gentes Germanorum saeculis antecedentibus mutatione sedum omnia perturbaverunt, curam animarum administrationemque dioecesis renovavit atque consociationes caritatis fundavit. Reges Merovingi Dagobertus I et Sigibertus III atque Pippinus maiordomus eius prudenter consilio saepe utebantur. Cuius tempore S. Petrus patronus ecclesiae cathedralis Coloniensis primo commemoratur. Mortuus anno 663 (?) die 12 novembris, in sacello haud dubie ab eo in Rheni ripa in honorem S. Clementis exstructo depositus est. Quo in loco postea ecclesia maior, nuncupata S. Cuniberti nomine, aedificata est.

De Communi pastorum, Vol. IV., 1421, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Promat verba cantionum,
patrem colens et patronum,
inclita Colonia.

Laudes pangat Cuniberto,
a patrono quarens certo
certa patrocinia.

Aulae regis hic oblatus,
regi servat Deo gratus
puer clari generis.

Lux soptimum circumfulget,
rege teste, mox indulget
sacer sacris litteris.

Sanctae puer puritatis
tam doctrinae quam aetatis
incrementis proficit.

Trevir hunc archilevitam,
sibi mox archimandritam
Agrippina praeficit.

Spargit opes, templa struit,
verba Dei manna pluit
ovibus opilio.

Visitatur a columba,
mortem gustat, sacra tumba
aegris est auxilio.

Salve, pater Cuniberte,
salva, pastor, tutas per te
oves tuae pascuae.

Post caducae vitae caulam
tuum gregem duc ad aulam
gloriae perpetuae. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Commentário sancti Albérti Magni epíscopi in Evangélio Lucae

(IX, 48: Ed. Borgnet, 22, 685, corr. sec. manuscripta)

Praecessor fiat sicut ministrator

Iesus ait discípulis: *Qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* Quasi díceret: Vos qui disputátis de maioritáte in regno caelórum, conténdite, quis vestrum sit humíllior; nam qui minor est in óculis suis in hábitu humilitátis, hic maior est in regno caelórum, hoc est in ecclesiástica et divína dignitatē. Et secúndum hoc, qui fastu supérbiae inflátus est, etiámsi sédeat in throno Christi, nullus est in regno caelórum. *Reges géntium dominántur eórum et qui potestátem habent inter eos, benefíci vocántur.* Sic non erit inter vos, sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor, et qui praecéssor, sicut ministrátor.

Haec enim régula Christi est ad grátiae receptiónem, ad Christi imitatióñem, ad órdinis ecclesiástici promotióñem, ad honóris aetérni adeptiónem, ad sanctórum comparatióñem.

Grátiam enim non récipit nisi húmilis, et maióris grátiae receptábilis est, qui humíllior est: *Deus supérbis resís-*

tit, humílibus autem dat grátiam, et ei quae humíllima fuit, grátiae plenitúdinem infúdit, scílicet beátae vírgini, sicut profundióres conchae plures recípiunt aquas. Unde Ptolemáeus philósophus: Qui inter sapiéntes est humílier, est sapiéntior, sicut profundióres lacúnae plures recípiunt aquas. In hoc étiam est Christi imitátio: Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se aequálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens.

Hoc étiam dignum facit ad promotiónem órdinis ecclésiástici: *Cum esses párvulus in óculis tuis, caput in tríbulis Israel factus es. Ludam et vílior fiam coram óculis Dómini, qui elégít me pótius quam domum patris tui, Saul supérbi.*

Hoc promóvet ad honórem aetérnum: *Recúmbe in novíssimo loco, ut dicat tibi qui te invitávit: Amíce, ascénde supérius. Et erit tibi glória coram simul discum-béntibus.*

Hoc facilit etiam sanctórum comparatióne: *Qui minor est in regno caelórum, maior est eo, quo maior non surréxit inter natos mulíerum.*

RESPONSORIUM

Mt 25,21.20

R. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui.

V. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. * Intra

Oratio

Deus, qui ad vitam christiánam reaedificándam et consociatiónes caritátis fundáandas beátum Cunibértum episcopum elegísti; tríbue nobis, quáesumus: ut fide et caritáte renovémur, atque cum frátribus regnum aetérnum cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

HYMNUS Promat verba cantionum, **ut ad Officium lectio-nis.**

(Die 13 novembris)

**ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIAE
Sollemnitas**

Sollemnitas anniversarii dedicationis in singulis ecclesiis, in quantum fieri potest, ipso die anniversarii celebretur; dies 13 novembris eligitur pro ecclesiis, quorum dies dedicationis ignoratur vel in tempus Adventus, Quadragesimae et Paschale cadit. In dominicis per annum licet hanc celebrationem agere, cum infra hebdomadam occurrit.

De Communi dedicationis ecclesiae, Vol. IV., 1299.

Die 15 novembris

**S. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI ET ECCLESIAE
DOCTORIS**

Festum

Albertus, anno fere 1200 Lauingiae in Suevia natus, anno 1223 Ordini Praedicatorum nomen dedit. Anno 1248 Coloni-am ad studium generale eiusdem ordinis nuper fundatum magister vocatus est, in quo Thomas de Aquino discipulus eius fuit. Ab anno 1254 usque ad annum 1257 officio provincialis in ordine suo functus est; ab anno 1260 usque ad annum 1262 ecclesiae Ratisbonensis praefuit. Anno 1270 Coloni-am reversus est. Propter multiplicem doctrinam in omnibus partibus scientiarum „doctor universalis“ nominabatur. Colonienses eum tanti aestimaverunt, ut eum pluries disceptatorem in rebus con-troversis inter urbem et episcopum vocaverint. Mortuus Coloniae anno 1280 die 15 novembris, in ecclesia ordinis sui sepul-tus est. Corpus sancti doctoris hodie in ecclesia S. Andreae quiescit.

**De Communi doctorum, Vol. IV., 1446, cetera de festo,
1268, prater sequentia:**

Ad Officium lectionis et ad Vespertas

HYMNUS

Magnum laudibus Albertum
saeculorum lumen certum,
Deus, grate colimus:
nomen tuum confitendo,
tuam gloriam augendo,
laurum est promeritus.

Qui secutus castitatem,
sponte tulit paupertatem,
fratribus oboediens:
idem promptus vi sermonis
fuit arx religionis,
pastor suos protegens.

Mundi formam discolorem
contemplatus, te factorem
adoravit humilis:
sicut aquila levatus,
tui sedulus scrutatus
est profunda numinis.

Misso praesulis honore,
integro virtutum flore
vixit atque gloriae:
prudens rerum disceptator,
pacis reconciliator,
dulcis lux Coloniae.

Sancte Deus, nos Alberto
deprecante damno certo
peccatores libera:
tuam dona nobis pacem,
dona vitam post fallacem,
sempiterna gaudi. Amen.